Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelhandschrift - Cod. Lichtenthal 7

Langton, Stephen

Frankreich (?), [13. Jh.]

Matthäus 1-9,10

urn:nbn:de:bsz:31-35356

Visual Library

suo et adtendit dominus et audivit et scriptus est liber
monimenti coram eo timentibus dominum et cogitanti
bus nomen eius. Et erunt michi ait dominus exerci
tuum · in die qua ego facio in peculium et parcam
eis sicut parcit vir filio suo servienti sibi et converte
mini et videbitis quid sit inter iustum et im
pium et inter servientem deo et non servientem ei.
Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus et
erunt omnes superbi et omnes facientes iniquita
tem stipula et inflammabit eos dies veniens
dicit dominus exercituum · qui non relinquet eis ra
dicem et germen et orietur vobis timentibus no
men meum sol iustitiae et sanitas in pennis eius
et egrediemini et salietis sicut vituli de armento
et calcabitis impios cum fuerint cinis sub pla
nta pedum vestrorum in die qua ego facio dicit dominus ex.
Mementote legis moysi servi mei quam mandavi
ei in oreb ad omnem israel praecepta et iudicia.
Ecce ego mittam vobis heliam prophetam ante
quam veniat dies domini magnus et horribilis
et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum
ad patres eorum ne forte veniam et percutiam
terram anathemate.

[M]atheus ex iudea sicut in ordine primus ponitur
ita evangelium in iudea primus scripsit. cuius
vocatio ad deum ex publicanis actibus fuit · duorum
in generatione christi principia praesumens unius cuius prima
circumcisio in carne alterius cuius secundum cor electio fuit
et ex utrisque in patribus christus sit · sic quaternario numero
triformi posito principium a credendi fide in electionis
tempus porrigens et ex electione usque in transmigra
tionis diem dirigens atque a transmigratione
usque ad christum definiens decursam adventus
domini ostendit generationem et numero satisfaciens et
tempori · ut se quid esset ostenderet et dei in se opus mon
strans · et in his quorum genus posuit christi operantis
a principio testimonium non negaret. Quorum omnium rerum tempus
ordo numerus dispositio vel ratio quod fidei necessarium est deus christus est qui
factus est de muliere factus sub lege natus ex virgi
ne · passus in carne omnia in cruce fixit · ut
triumphans ea in semetipso resurgens in corpore et patris nomen
in patribus filio et filii nomen patri restituens in
filiis sine principio · sine fine ostendens unum se
esse cum patre quia unus est. In quo evangelio utile est de
siderantibus deum · sic prima vel media vel perfecta cognos
cere ut et vocationem apostoli et opus evangelii et dilec
tionem dei in carne nascentis per universa le
gentes intellegant atque id in eo in quo adprehen
si sunt et adprehendere expetunt recognoscant.
Nobis enim hoc in studio argumenti fuit et fidem
facti tradere et operantis dei intellegendam
dispositionem quaerentibus non tacere.

LIBER generationis ihesu christi filii david filii
abraham. Abraham autem genuit ysaac. Ysaac
autem genuit iacob. Iacob autem genuit iudam et
fratres eius. Iudas autem genuit phares et zaram
de thamar. Phares autem genuit esrom. Esrom autem
genuit aram. Aram autem genuit aminadab.
Aminadab autem genuit naason. Naason autem ge
nuit salmon. Salmon autem genuit booz de
rahab. Booz autem genuit obed ex ruth. Obed autem
genuit iesse. Iesse autem genuit david regem. David
autem rex genuit salomonem ex ea quae fuit uriae. Sa
lomon autem genuit roboam. Roboam autem
genuit asa. Asa autem genuit iosaphat. Iosa
phat autem genuit ioram. Ioram autem genuit
oziam. Ozias autem genuit ioatham. Ioatham
autem genuit achaz. Achaz autem genuit ezechiam.
Ezechias autem genuit manassen. Ma
nassen autem genuit amon. Amon autem
genuit iosiam. Iosias autem genuit
iechoniam et fratres eius in transmigratione ba
bylonis. Et post transmigrationem babylo
nis iechonias genuit salathiel. Salathiel
autem genuit zorobabel. Zorobabel autem ge
nuit abiud. Abiud autem genuit eliachim. Eliachim
autem genuit azor. Azor autem genuit sadoch.
Sadoch autem genuit achim. Achim autem eliud.
Eliud autem genuit matham. Matham autem ge
nuit iacob. Iacob autem genuit ioseph virum
mariae de qua natus est ihesus qui vocatur christus.
Omnes itaque generationes ab abraham usque ad david
generationes xiiii · et a david usque ad transmigra
tionem babylonis usque ad christum generationes xiiii.
et a transmigratione babylonis usque ad christum
generationes xiiii. Christi autem generatio sic erat.
Cum esset desponsata mater ihesu maria ioseph
antequam convenirent inventa est in utero habens
de spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset
iustus et nollet eam traducere voluit occulte dimit
tere eam. Haec autem eo cogitante ecce angelus domini
in somnis apparuit ei dicens. Ioseph fili david
noli timere accipere mariam coniugem tuam.
quod enim in ea natum est de spiritu sancto est. Pariet
autem filium et vocabis nomen eius ihesum. Ipse enim
salvum faciet populum suum a peccatis eorum.
Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod
dictum est a domino per prophetam dicentem. Ecce virgo in
utero habebit et pariet filium et vocabit nomen
eius emmanuel quod interpretatum nobiscum deus.
Exsurgens autem ioseph a somno fecit sicut
praecepit ei angelus domini et accepit coniugem suam

et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum et vocavit nomen eius Ihesum.

Cum ergo natus esset Ihesus in Bethlehem Iude in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt Ierosolimam dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudeorum? vidimus stellam eius in oriente et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est et omnis Ierosolima cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iude. Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis magis diligenter didicit ab eis tempus stelle que apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem dixit: Ite interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis renuntiate michi, ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem abierunt. Et ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam magi gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum thus et mirram. Et responso accepto in sompnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Qui cum recessissent, ecce angelus domini apparuit in sompnis Ioseph dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in Egyptum et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum et matrem eius nocte et secessit in Egyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem: Ex Egypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a magis iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius a bimatu et infra secundum tempus quod exquisierat a magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos et noluit consolari quia non sunt. Defuncto autem Herode ecce angelus domini apparuit in sompnis Ioseph in Egypto dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius et vade in terram Israel. Defuncti sunt enim qui querebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum et matrem eius et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudea pro Herode patre suo timuit illo ire. Et admonitus in sompnis secessit in partes Galilee, et veniens habitavit in civitate que vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas quoniam Nazareus vocabitur.

In diebus autem illis venit Iohannes Baptista predicans in deserto Iudee et dicens: Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. Hic est enim de quo dictum est per Ysaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: parate viam domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Iohannes habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos eius. Esca autem eius erat locuste et mel silvestre. Tunc exibat ad eum Iosolima et omnis Iudea et omnis regio circa Iordanem, et baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Videns autem multos phariseorum et saduceorum venientes ad baptismum suum dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum penitentie et ne velitis dicere intra vos patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahe. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor que non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Ego quidem vos baptizo in aqua in penitentiam. Qui autem post me venturus est fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare. Ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igne, cuius ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem conburet igni inextinguibili. Tunc venit Ihesus a Galilea in Iordanem ad Iohannem ut baptizaretur ab eo. Iohannes autem prohibebat eum dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Ihesus dixit ei: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iusticiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Ihesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt celi ei et vidit spiritum dei descendentem sicut columbam et venientem super se. Et ecce vox de celis dicens: Hic est filius meus dilectus in quo michi complacui.

Tunc ductus est Ihesus in desertum a spiritu ut temptaretur

a dyabolo. Et cum ieiunasset xl. diebus et xl.
noctibus, postea esuriit. Et accedens temp
tator dixit ei. Si filius dei es dic ut lapides
isti panes fiant. Qui respondens dixit. Scrip
tum est. Non in solo pane vivit homo sed in
omni verbo quod procedit de ore dei. Tunc assump
sit eum diabolus in sanctam civitatem et statuit
eum super pinnaculum templi et dixit ei. Si
filius dei es mitte te deorsum. Scriptum est
enim quia angelis suis mandavit de te et in
manibus tollent te ne forte offendas ad la
pidem pedem tuum. Ait illi ihesus rursum.
Scriptum est non temptabis dominum deum tuum.
Iterum assumpsit eum diabolus in montem
excelsum valde. et ostendit illi omnia regna
mundi et gloriam eorum et dixit illi. hec omnia
dabo tibi si procidens adoraveris me. Tunc dicit
ei ihesus. Vade sathanas. Scriptum est enim. Do
minum deum tuum adorabis et illi soli servies.
Tunc reliquit eum diabolus et ecce angeli
accesserunt et ministrabant ei. Cum autem
audisset ihesus quod iohannes traditus esset secessit in
galileam et relicta civitate nazareth
venit et habitavit in capharnaum mariti
ma in finibus zabulon et neptalim ut
adimpleretur quod dictum est per ysaiam prophetam.
Terra zabulon et terra neptalim via maris
trans iordanem galilee gentium. Populus qui
ambulabat in tenebris vidit lucem
magnam. et sedentibus in regione umbre
mortis. lux orta est eis. Exinde cepit ihesus pre
dicare et dicere. Penitentiam agite appropin
quabit enim regnum celorum. Ambulans
autem iuxta mare galilee vidit duos fratres Sy
monem qui vocatur petrus et andream
fratrem eius mittentes recia in mare. Erant
enim piscatores et ait illis. Venite post
me et faciam piscatores hominum. At
illi continuo relictis retibus secuti sunt
eum. et procedens inde vidit alios duos fratres
iacobum zebedei et iohannem fratrem eius
cum zebedeo patre eorum in navi reficientes recia
sua et vocavit eos. Illi autem relictis retibus
et patre secuti sunt eum. Et circuibat ihesus to
tam galileam docens in synagogis eorum.
et predicans evangelium regni et sanans omnem
languorem et omnem infirmitatem in populo
et abiit opinio eius in totam siriam et obtule
runt ei omnes male habentes variis lang
uoribus et tormentis comprehensos et qui de
monia habebant et lunaticos et paraliticos

et curavit eos. Et secute sunt eum turbe
multe de galilea et de decapoli et ieroso
limis et de iudea et de trans iordanem
Videns autem turbas ascendit
in montem et cum sedisset accesserunt
ad eum discipuli eius et aperiens os suum do
cebat eos dicens. Beati pauperes spiritu quoniam
ipsorum est regnum celorum. Beati mites quoniam
ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent
quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt
et sitiunt iusticiam quoniam ipsi saturabuntur.
Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam conse
quentur. Beati mundo corde quoniam ipsi deum
videbunt. Beati pacifici quoniam filii dei voca
buntur. Beati qui persecutionem patiuntur
propter iusticiam quoniam ipsorum est regnum celorum.
Beati estis cum maledixerint vobis homines
et persecuti vos fuerint et dixerint omne ma
lum adversum vos mentientes propter me.
Gaudete et exultate quoniam merces vestra copiosa
est in celis. Sic enim persecuti sunt prophetas
qui fuerunt ante vos. Vos estis sal
terre quod si sal evanuerit in quo salietur.
Ad nichilum valet ultra nisi ut mittatur
foras et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux
mundi. Non potest civitas abscondi supra mon
tem posita. Neque accendunt lucernam
et ponunt eam sub modio sed super candela
brum ut luceat omnibus qui in domo
sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus
ut videant vestra bona opera et glorificent
patrem vestrum qui in celis est. Nolite puta
re quoniam veni solvere legem sed adimplere.
Amen quippe dico vobis donec transeat celum
et terra iota unum aut unus apex non preteribit
de lege donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum
de mandatis istis minimis et docuerit
sic homines minimus vocabitur in regno ce
lorum. Qui autem fecerit et docuerit hic magnus
vocabitur in regno celorum. Dico autem vobis
quia nisi habundaverit iusticia vestra plus scribarum et
phariseorum non intrabitis in
regnum celorum. Audistis quia dictum est antiquis
non occides qui autem occiderit reus erit iudicio.
Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur
fratri suo reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri
suo racha reus erit concilio. Qui autem dixerit
fatue reus erit gehenne ignis. Si ergo of
fers munus tuum ad altare et vade prius re
conciliari fratri tuo et tunc veniens offeres
munus tuum. Esto consentiens adversario

tuo cito dum es in via cum eo ne forte tradat
te adversarius iudici et iudex tradat te custo
dio ministro et in carcerem mittaris. Amen di
co tibi non exies inde donec reddas novissimum
quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis non
mechaberis. Ego autem dico vobis quoniam omnis qui
viderit mulierem ad concupiscendum eam iam
mechatus est eam in corde suo. Quod si oculus
tuus dexter scandalizat te erue eum et proice
eum abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum
membrorum tuorum quam totum corpus mittatur
in gehennam. Et si dextera manus tua scanda
lizat te abscide eam et proice abs te. Expedit
enim ut pereat unum membrorum tuorum quam totum
corpus eat in gehennam. Dictum est autem quicumque
dimiserit uxorem suam det illi libellum repu
dii. Ego autem vobis quia omnis qui dimiserit uxo
rem suam excepta fornicationis causa facit
eam mechari et qui dimissam duxerit adul
terat. Iterum audistis quia dictum est antiquis non peie
rabis reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem
dico vobis non iurare omnino neque per celum quia thronus
dei est neque per terram quia scabellum pedum est eius
neque per ierosolimam quia civitas est magni regis
neque per caput tuum iuraveris quia non potes unum
capillum album facere aut nigrum. Sit
autem sermo vester est est non non quod autem habundantius
est a malo est. Audistis quia dictum est oculum pro oculo et
dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere
malo sed si quis percusserit te in dexteram maxil
lam tuam prebe ei qui vult tecum in iudicio
terum contendere et tunicam tuam tollere dimitte
ei pallium et quicumque te angariaverit mille
passus vade cum illo alia duo. Qui petit a te
da ei et volenti mutuare a te ne avertaris.
Audistis quia dictum est antiquis. Diliges proximum
tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem
dico vobis. Diligite inimicos vestros benefacite
his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et
calumpniantibus vos ut sitis filii patris
vestri qui in celis est qui solem suum oriri facit
super bonos et malos et pluit super iustos et in
iustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt
quam mercedem habebitis nonne et publicani hoc fa
ciunt et si salutaveritis fratres vestros tantum quid
amplius facitis nonne et ethnici hoc faciunt.
Estote ergo perfecti sicut et pater vester celestis perfectus
est. Attendite ne iustitiam vestram faciatis
coram hominibus ut videamini ab eis alioquin mer
cedem non habebitis apud patrem vestrum qui in ce
lis est. Cum facis elemosinam noli tuba

canere ante te sicut ypocrite faciunt in sinago
gis et in vicis ut honorificentur ab hominibus. Amen
dico vobis receperunt mercedem suam. Te autem fa
ciente elemosinam nesciat sinistra tua quid
faciat dextera tua ut elemosina tua in abscon
dito et pater tuus qui videt in abscondito red
det tibi. Et cum oratis non eritis sicut
ypocrite qui in sinagogis et in angulis platea
rum stantes orare ut videantur ab hominibus. Amen
dico vobis receperunt mercedem suam. Tu autem cum
oraveris intra in cubiculum tuum et clauso ho
stio ora patrem tuum in abscondito et pa
ter tuus qui videt in abscondito reddet tibi.
Orantes autem nolite multum loqui sicut
ethnici putant enim quia in multiloquio suo ex
audiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim
pater vester quid opus sit vobis antequam petatis eum. Sic
ergo orabitis. Pater noster qui es in celis. s. n. t. a. r. t.
t. f. v. t. s. i. c. e. i. t. p. n. co. da n. h. e d.
n. d. n. s. e n. d. d. n. e ne n. in d. i t. s. l.
n. a. m. Amen. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet
et vobis pater vester celestis delicta vestra. Si autem non re
miseritis hominibus nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.
Cum autem ieiunatis nolite fieri sicut ypocrite
tristes exterminant enim facies suas ut appareant
hominibus ieiunantes. Amen dico vobis quia rece
perunt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas
unge caput tuum et faciem tuam lava ne
videaris hominibus ieiunans sed patri tuo qui
est in abscondito et pater tuus qui videt in abscondito
reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis
thesauros in terra ubi tinea demolitur et
ubi fures effodiunt et furantur. Thesauri
zate vobis thesauros in celo ubi neque erugo
neque tinea demolitur et ubi fures non effodiunt
nec furantur. Ubi est enim thesaurus tuus ibi
est et cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus
tuus fuerit simplex totum corpus tuum luci
dum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit totum
corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen
quod in te est tenebre sunt ipse tenebre quante
erunt. Nemo potest duobus dominis servire aut enim unum
odio habebit et alterum diliget. aut unum sustinebit
et alterum contempnet. Non potestis deo servire et mamone.
Ideo dico vobis ne solliciti sitis anime vestre quid man
ducetis. neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima
vestra plus est quam esca et corpus plusquam vestimen
tum. Respicite volatilia celi quoniam non serunt neque me
tunt neque congregant in horrea et pater vester celestis
pascit illa. Quis autem vestrum cogitans potest adicere ad staturam
suam cubitum unum. Et de vestimento quid sollici

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

n̄ etc. Considerate lylia agri quomodo crescunt
non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec
salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum
ex istis. Si autem fenum agri quod hodie est et cras
in clibanum mittitur deus sic vestit. Nolite ergo
esse solliciti dicentes quid manducabimus aut
quid bibemus aut quo operiemur. Hec enim omnia gentes in
quirunt. Scit enim pater vester quia his omnibus indige
tis. Querite ergo primum regnum dei et iustitiam eius et
hec omnia adicientur vobis. Crastinus enim dies sollicitus
erit sibi ipsi. Sufficit enim diei malitia sua.
Nolite iudicare ut non iudicemini. In quo enim
iudicio iudicaveritis iudicabimini et in qua mensu
ra mensi fueritis remetietur vobis. Quid autem vides festucam
in oculo fratris tui et trabem in oculo tuo non consideras. Aut
quomodo dicis fratri tuo. Frater sine eiciam festucam de oculo tuo
et ecce trabes in oculo tuo. Ypocrita eice primum trabem
de oculo tuo et tunc videbis eicere festucam de oculo
fratris tui. Nolite dare sanctum canibus neque mittatis
margaritas vestras ante porcos ne forte conculcent
eas pedibus suis et conversi disrumpant vos. Petite
et dabitur vobis. Querite et invenietis. Pulsate et ap
erietur vobis. Omnis enim qui petit accipit et qui que
rit invenit et pulsanti aperietur. Aut quis ex
vobis homo quem si petierit filius suus panem num
quid lapidem porriget ei. Aut si piscem pe
tierit numquid serpentem porriget ei. Si ergo
vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis
vestris quanto magis pater vester qui in celis est dabit bo
na petentibus se. Omnia ergo quecumque vultis ut fa
ciant vobis homines et vos facite illis. Hec est enim
lex et prophete. Intrate per angustam portam. Quia
lata est porta et spaciosa via que ducit ad perdicio
nem et multi sunt qui intrant per eam. Quam
angusta porta et arta via que ducit ad vitam
et pauci sunt qui inveniunt eam. Atten
dite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in
vestimentis ovium. Intrinsecus autem sunt
lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.
Numquid colligunt de spinis uvas aut de tri
bulis ficus. Sic omnis arbor bona fructus bonos
facit. Mala autem arbor fructus malos facit.
Non potest arbor bona fructus malos facere neque
arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor
que non facit fructum bonum exciditur et in ignem
mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.
Non omnis qui dicit mihi domine domine intrabit in
regnum celorum. Sed qui facit voluntatem patris
mei qui in celis est ipse intrabit in regnum
celorum. Multi dicent mihi in illa die domine domine
nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo

demonia eiecimus et in nomine tuo virtutes mul
tas fecimus. Et tunc confitebor illis quia numquam novi
vos. Discedite a me qui operamini iniquita
tem. Omnis ergo qui audit verba mea hec et facit
ea assimilabitur viro sapienti qui edificavit
domum suam supra firmam petram. Et descendit
pluvia et venerunt flumina et flaverunt
venti et irruerunt in domum illam et non ceci
dit. Fundata enim erat supra firmam petram.
Et omnis qui audit verba mea hec et non facit ea
similis erit viro stulto qui edificavit domum
suam supra harenam et descendit pluvia
et venerunt flumina et flaverunt venti et
irruerunt in illam et cecidit et fuit ruina
eius magna. Et factum est cum consummasset ihesus verba
hec admirabantur turbe super doctrina eius. Erat
enim docens eos sicut potestatem habens et non sicut scribe eorum
et pharisei. Cum autem descendisset
de monte secute sunt eum turbe multe
et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens.
Domine si vis potes me mundare. Et extendens
ihesus manum tetigit eum dicens. Volo munda
re. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait
illi ihesus. Vide nemini dixeris sed vade ostende te sacerdoti et
offer munus quod precepit moyses in testimonium illis. Cum
autem introisset capharnaum accessit ad eum
centurio rogans eum et dicens. Domine puer
meus iacet paralyticus in domo et male
torquetur. Et ait illi ihesus. Ego veniam et curabo
eum. Et respondens centurio ait. Domine non sum
dignus ut intres sub tectum meum sed tantum
dic verbo et sanabitur puer meus. Nam et ego homo
sum sub potestate habens sub me milites et dico
huic vade et vadit et alii veni
et venit et servo meo fac hoc et facit. Audiens autem
ihesus miratus est et sequentibus se dixit. Amen dico vobis
non inveni tantam fidem in israel. Dico autem
vobis quod multi ab oriente et occidente ve
nient et recumbent cum abraham et ysaac
in regno celorum. Filii autem regni eicientur
in tenebras exteriores ibi erit fletus et stridor
dentium. Et dixit ihesus centurioni vade
et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus
est puer in illa hora. Et cum venisset ihesus in domum
petri vidit socrum eius iacentem et febri
citantem et tetigit manum eius et dimi
sit eam febris et surrexit et ministrabat
eis. Vespere autem facto obtulerunt ei mul
tos demonia habentes et eiciebat spiritus verbo et omnes
male habentes curavit ut
adimpleretur quod dictum est per ysaiam prophetam

dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit
et egrotationes portavit. Videns autem Ihesus tur
bas multas circum se iussit eos ire trans fre
tum. et accedens unus scriba ait illi. Magister
sequar te quocumque ieris. et dicit ei Ihesus. Vulpes
foveas habent et volucres celi nidos. Filius autem
hominis non habet ubi caput reclinet. Alius autem de discipu
lis eius ait illi. Domine permitte me primum ire et se
pelire patrem meum. Ihesus autem ait illi. Sequere
me et dimitte mortuos sepelire mortuos
suos. Et ascendente eo in naviculam secuti sunt
eum discipuli eius. et ecce motus magnus factus est
in mari ita ut navicula operiretur fluctibus. ipse
vero dormiebat. et accesserunt et suscitave
runt eum dicentes. Domine salva nos perimus. et dicit
eis. Quid timidi estis modice fidei. Tunc sur
gens imperavit ventis et mari et facta est tran
quillitas magna. Porro homines mirati
sunt dicentes. Qualis est hic quia venti et mare obe
diunt ei. Et cum venisset trans fretum in re
gione Gerasenorum occurrerunt ei duo habentes de
monia de monumentis exeuntes sevi nimis.
ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce
clamaverunt dicentes. Quid nobis et tibi Ihesu fili
dei. venisti huc ante tempus torquere nos. Erat
autem non longe ab illis grex porcorum. et ait illis Ihesus.
Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos.
et ecce impetu abiit totus grex per preceps in
mare et mortui sunt in aquis. Pastores autem
fugerunt et venientes in civitatem nuncia
verunt omnia. et ecce tota civitas exiit obviam
Ihesu et viso eo rogabant ut transiret a
finibus eorum. Et ascendens in
naviculam transfretavit et venit in civitatem
suam. Et ecce offerebant ei paraliticum in lecto iacen
tem. Videns autem Ihesus fidem illorum dixit pa
ralitico. Confide fili remittuntur tibi pecca
ta tua. et ecce quidam de scribis dixerunt intra
se hic blasphemat. et cum vidisset Ihesus cogita
tiones eorum dixit. Ut quid cogitatis mala in
cordibus vestris. Quid est facilius dicere dimit
tuntur tibi peccata aut dicere surge et ambula.
Ut sciatis autem quia filius hominis habet potestatem in ter
ra dimittendi peccata tunc ait paralitico. Sur
ge tolle lectum tuum et vade in domum
tuam. et surrexit et abiit in domum suam. Viden
tes autem turbe timuerunt et glorificave
runt deum qui dedit potestatem talem hominibus. Et
cum transiret inde Ihesus vidit hominem sedentem
in telonio Matheum nomine et ait illi. Se
quere me. et surgens secutus est eum. et factum est